

quamvis hoc in rebus etiam aliis certum videatur, multo tamen certius esse in caeremoniis seu sacramentalibus Ecclesiae, de quibus agimus, quia Ecclesia solum utitur orationibus, imperio, et sacris signis, in quibus nulla naturalis efficacia fingi potest; est ergo supernaturalis potestas et efficacia.

13. *Hic effectus non fit per physicam actionem, sed moralem.* — Secundo vero dicendum est, hoc non fieri per actionem seu efficientiam physicam, primo quidem, quia nec est necessaria, nec fundari potest, neque est gratis fingenda. Secundo, quia saepe nullus intercedit effectus, qui per physicam efficientiam fiat, quia vel hic effectus fit in homine; et hoc non, quia nullus potest probabiliter excogitari; vel in daemone; et hic maxime potest esse motus localis, quia videlicet cogitur daemon hinc recedere; nihil enim aliud positivum potest fingi, quod in daemone fiat; hic autem effectus non semper fit; interdum enim solum impeditur daemon, ne noceat, vel ne tentet, etiam si loco recedere non cogatur, et tunc intelligi non potest, quis effectus physicus fiat in daemone, aut quo modo impediatur per actionem physicam, sed solum per virtutem divinam cogentem illum, vel subtrahentem concursum. Si aliquando vero cogitur etiam mutare locum, vel recedere, licet intelligi possit, fieri hoc ab agente extrinseco per actionem physicam, tamen non oportet ita fieri, nam cum daemones percipiant verba et signa humana, et vim eorum intelligant, morali modo praecipuntur, et obedire coguntur; fit ergo hic effectus non physice, sed moraliter.

14. *Hujus efficaciae triplex radix.* — Cur hic effectus non sit infallibilis. — Sed adhuc restat explicandum, quis sit modus et quae radix hujus efficaciae moralis. Respondetur: triplex potest assignari. Prima est veluti conaturalis, suppositis nostrae fidei mysteriis; cum enim daemon virtutem Christi, vel invictus agnoscat et credat, seque per Crucem ejus victum et superatum intelligat, ex hoc ipso, quasi ex natura rei sequitur, ut audito Christi nomine perhorrescat, et viso signo crucis ejus, quodam modo torqueatur, et confundatur. Et ideo Sancti, his duobus signis, Crucis, et nominis Christi potissimum uti sunt ad hunc effectum consequendum. Unde Lact., lib. 4, c. 27, inquit: *Sicut Christus, cum inter homines ageret; universos daemones verbo fugabat, ita nunc sectatores ejus in nomine Magistri sui, et signo passionis ejus, eos ab*

hominibus excludunt; sic etiam Orig., Hom. 6 in Exod.: Quid (inquit) timent daemones, quid tremunt? sine dubio Christi crucem, in qua triumphati sunt. Secunda est vis impetrandi, fundata, non tantum in ministro, sed in sanctitate totius Ecclesiae, in cujus persona minister orat, et ratione hujus intercessionis fit hic effectus per modum impetrationis, sicut de secundo dictum est. Tertia causa probabilis est, specialis potestas data Ecclesiae a Christo Domino ad imperandum daemonibus, qui ex ipsius Christi voluntate obedire coguntur; haec enim potestas videtur colligi ex citatis locis Scripturae, et ex usu et traditione Ecclesiae; cum enim ordinando exorcistas dat eis potestatem adversus daemones, non tantum videtur eis concedere facultatem postulandi hunc effectum nomine suo, sed etiam in eos transferre potestatem aliquam specialem sibi a Christo concessam; et fortasse de hac loquitur Justinus, quaest. 40 ad gentes, cum inquit, esse vim quandam quae sub sensum non cadit, quae timorem incutit daemonibus, cum ab Ecclesia imperantur. Hanc etiam videtur August., lib. 83 Quaest., q. 79, vocare publicam et imperialem legem, et summi Dei potestatem, quae interdum Sanctis conceditur, ut imperent infimis potestatibus. Verum est, haec et alia testimonia intelligi posse de gratia gratis data, quae ad gratiam miraculorum revocatur, quae interdum sanctis hominibus conceditur supra daemones. De qua legi potest optima historia apud Greg. Nyss., Orat. de S. Gregorio Thaumaturgo; nihilominus tamen intelligi etiam possunt de ordinaria potestate, quam etiam Augustinus supra vocat publicam administrationem, quae fit jussu ejus, cui cuncta creatura subjecta est; et eodem modo dicit ibidem, nonnunquam malos Christianos, vel schismaticos, vel haereticos, per nomen Christi, aut verba, aut sacramenta Christiana, exigere aliquid a potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est; et haec vocat ibidem, signa publicae justitiae, quae efficaciam habent propter honorem excellentissimi imperatoris. Quod si inquiras, cur haec signa non semper sint efficacia, seu cur hic effectus non semper sit infallibilis, respondet ibidem Augustinus dicens: Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, atque utile judicat, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi, vel ad monendos bonos, ut proficiant in fide, atque ista non jactanter, sed utiliter

possint, vel ad discernenda aona membrorum Ecclesiae. Itaque hic effectus non est ita absolute promissus, quin impediri possit, vel propter privatam, vel propter publicam causam. Nam cum hic effectus non pertineat ad donum gratiae gratum facientis, sed ad liberationem quamdam a malo poenae, non solum ex proprio demerito seu obice impediri potest, sed etiam propter majorem utilitatem animae, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiae commodum.

15. Circa sextum effectum, qui est beneficium aliquod temporale seu corporale, nihil novum addendum occurrit; non est enim dubium, quin aliqua caeremonia vel benedictiones sint ab Ecclesia institutae ad impetrandos hujusmodi effectus, ut late prosequitur Waldensis, tom. 3, de Sacramentalibus, cap. 463, et seq. Tamen hic effectus solum obtinetur per modum impetrationis, loquendo directe et quasi per se; per accidens vero, et removendo prohibens, interdum obtineri solet coercendo daemonum potestatem, quomodo uti solet Ecclesia exorcismis ad tempestatem repellendam, vel fuganda animalia nociva, ut 2. 2, q. 90, D. Thom. tractat, et Soto, l. 8, de Just. et jur., q. 3, art. 3.

DISPUTATIO XVI.

DE PRAECEPTIS SACRAMENTORUM PERTINENTIBUS AD MINISTROS EORUM.

1. *Ratio in doctrina morali servanda.* — Hactenus universam doctrinam speculativam de sacramentis prosecuti sumus. Doctrinam vero moralem in hanc postremam partem rejecimus, ut clarius ac brevius comprehendi possit, et ad usum applicari. Moralis autem doctrina in tribus potissimum versari potest. Primum, in explicandis praecipis, quae ad rem aliquam pertinent. Secundum, in explicando modo, quo servari debent, vel violari possunt praecipia. Tertio, in poenis declarandis, quae propter hujusmodi transgressionem impositae sunt; loquor autem de poenis ecclesiasticis, ut sunt censurae, inhabilitates et hujusmodi; nam poenae, quas Deus infligit, vel aliae humanae seu seculares, ad nostram considerationem non spectant. Atque de his tribus capitibus dicemus, tam hoc loco, quam in morali dispositione de singulis sacramentis, atque eandem methodum servabimus disputando de singulis virtutibus, si Deus hoc aliquando concesserit. Rursus observandum est,

duas solum personas necessarias esse, ut sacramentum fiat, scilicet, dans et recipiens, quas supra diximus debere esse distinctas, saltem in his sacramentis, quae in usu consistunt; atque haec duae personae sufficiunt, generatim loquendo; nam licet in quibusdam sacramentis plures interveniant, tamen vel non sunt de substantia sacramenti, vel earum necessitas est ex speciali ratione alicujus sacramenti, quae ad hanc generalem considerationem non pertinet. Ad has ergo pertinere possunt sacramentorum praecipia; quae considerari possunt, vel quatenus absolute pertinent ad ministrum, vel prout imponuntur recipienti, vel prout respective respiciunt unum in ordine ad alterum, vel e converso; et juxta haec tria membra partem hanc moralem tribus disputationibus complectemur.

2. Denique observandum est, cum sacramenta sint res maxime sacrae, in eis in primis habere locum ea naturalia praecipia, quae virtus ipsa religionis circa res sacras praecipit observare. Quorum unum et praecipuum est illud negativum, non inferendi injuriam, nec indigne tractandi res sacras, ut in specie notavit D. Thom., 2. 2, q. 99, art. 3, dicens hujus praecipii transgressionem ex genere suo esse peccatum mortale, quia est contra nobilissimam virtutem et contra honorem debitum Deo. Aliud praecipium naturale et generale potest esse affirmativum, non absolute, sed sub conditione, scilicet digne tractandi sacramenta, si dispensanda vel recipienda sint; quod fere idem est cum praecedenti negativo; et in his fundantur multa, quae dicemus de praecipis sacramentorum, quae ex natura rei oriuntur ex ipsamet sacramentorum institutione. Alia vero sunt positiva divina vel ecclesiastica, quae omnia explicanda a nobis sunt.

SECTIO I.

Quis possit licite, vel teneatur sacramenta ministrare.

1. Primum omnium statuendum est, potestatem administrandi licite sacramentum supponere potestatem conficiendi illud; nam si quis sacramentum conficere non possit, multo minus poterit illud efficere licite. Quia si illud tentet efficere sine potestate, nihil efficiet, et hoc ipso erit sacrilegus, quia fecte tentat facere rem sacram, quam non potest efficere. Praeterea facit contra Christi institutionem, qui certos ministros sacramentorum

instituit. Tertio, quantum in se est, pravum ritum in conficiendis sacramentis introducit, et facto ipso falsam doctrinam profitetur; et ideo merito ut sacramenti illusor et in fide suspectus ab Ecclesia punitur. Quarto graviter decipit, tum eum, cui hujusmodi fictum sacramentum tribuit, tum etiam Ecclesiam, ex qua deceptione sequi possunt gravia incommoda, ut exteriores idololatriæ, animarum pericula, scandala, et similia.

2. *An dubius de potestate possit sacramentum ministrare.* — In re incerta quæ mediocritas tenenda. — Quod si quis inquirat, quænam sit hæc potestas, dicendum est, non esse eandem respectu omnium sacramentorum, nam in quibusdam sufficit potestas Ordinis sacerdotalis, vel episcopalis; aliquando requiritur etiam potestas jurisdictionis; aliquando vero neutra est necessaria ad valorem sacramenti, ut in baptismo. Hic ergo absolute loquimur de potestate, qualis necessaria fuerit, ut sacramentum teneat. Dices: quid, si ministraturus sacramentum dubius sit de sua potestate, id est, an sit ordinatus, vel jurisdictionem habeat? Respondetur primo: si dubium tale sit, ut in neutram partem possit homo inclinari per assensum saltem probabilem, non potest licite sacramentum ministrare, quia exponit se manifesto periculo nihil faciendi, et incurrendi in omnia incommoda superius indicata. Secundo, quando hoc dubium est formido quædam, si cum illa sit conjunctus assensus, quo, pensatis omnibus, homo judicat esse probabilius, se habere talem potestatem, regulariter loquendo potest illa uti, si nullum detrimentum vel injuria tertiæ personæ intercedat. Probat, quia hujusmodi judicium est humano modo certum, et ideo est moraliter sufficiens ad regulandas actiones humanas, quando nec certior cognitio haberi potest, neque ex hoc usu sequitur grave aliquod detrimentum, quod facile et sine illo incommodo vitari non possit. Et confirmatur, nam propter hanc causam in omnibus aliis rebus licitum est uti opinione probabiliori, quandocumque illa duo concurrunt, quod nec comparari potest certior cognitio, nec ex illo usu sequitur grave detrimentum, quod facile vitari non possit, quod est extrinsecum et per accidens. Ratio vero est, quia vix potest homo certiore cognitionem in quacumque materia consequi, et præsertim in rebus agendis, quæ lubricæ sunt et incertæ; ergo præter rationem esset, majorem certitudinem requirere in homine ad conve-

nientem modum operandi. Tertio, quando judicium est probabile, vel verisimile, ita tamen, ut simul homo judicet esse probabile, vel probabilius, se non habere necessariam potestatem, res est magis incerta. Nam quidam absolute docent, tunc esse liberum homini sequi judicium probabile, et in re incerta uti jure suo et potestate quam se habere probabiliter credit. Alii vero absolute negant, propter periculum, quod in re ipsa existit nihil faciendi, propter probabile judicium. Quæ ratio ita videtur urgens, ut videatur concludere nunquam esse in hac re utendum judicio probabili absque certitudine morali et humana, nisi aliqua necessitas, vel gravis causa ad id cogat; quod sane est satis verisimile. Et ideo censeo, neutram ex illis duabus contrariis sententiis posse generaliter ad praxim reduci; nam prior quidem non semper erit tuta, ut ratio facta convincit, posterior vero sæpe erit nimis rigida, et hominem conjiciet in magnas angustias et perplexitates. Quocirca prudenter sunt pensandæ occurrentes circumstantiæ, ut homo temere et sine causa non se exponat periculo faciendi sacramentum irritum et nullum; hoc enim re vera non licet; censebitur autem se exponere huic periculo, quando sine necessitate gravi vel causa urgente utitur potestate incerta, sequendo judicium minus probabile. Secus vero erit, quando necessitas urget, et non est alia securior via, quia, v. gr., vel sacramentum omnino omittendum est, vel illo probabili modo dispensandum; tunc enim licitum esse poterit uti tali potestate, quia tunc non tam se exponit periculo, quam permittit illud, ut majus vitet; et alioqui habet humanam cognitionem, quæ potest esse sufficiens principium recte operandi, quando aliunde non oritur speciale incommodum aut periculum. Atque tota hæc doctrina sumpta est ex generalibus principiis, quæ de usu conscientiæ traduntur a Theologis, et eam postea ad singula sacramenta applicabimus, et ideo in congerendis exemplis in particulari non immorabor, ne prolixior sim.

3. *Jus sacramenta ministrandi requiri.* — Secundo dicendum est, præter potestatem conficiendi sacramentum, requiri jus seu facultatem administrandi illud, ut licite possit dispensari. Itaque non omnis qui potest facere sacramentum, potest etiam licite illud dare, sed qui cum potestate habet etiam jus; conclusio est certa, quæ originem trahit a jure divino, pendet tamen aliquo modo ex deter-

minatione juris humani. Quod explico in hunc modum, nam, ut docet Augustinus, lib. 2 contra Parmenian., c. 43, soli sacerdotes, per se loquendo, habent potestatem et jus administrandi sacramenta, quæ ab ipsis administrari possunt, quia collatio sacramenti est actio sacra, ad quam digne perficiendam ministri consecrantur. Excipitur autem ab hac generali regula, in primis matrimonium, in quo ipsi contrahentes habent rationem ministri conficiendi sacramentum, quia materia et forma illius hoc requirit, nam in ipso exteriori contractu posita est. Quanquam nunc ex Ecclesiæ ordinatione necessaria sit præsentia parochi, non ut sit minister sacramenti, sed ut conditio quædam necessaria ad valorem contractus. Deinde excipi potest baptismus, quem interdum potest laicus ministrare; quæ facultas concessa est in illo sacramento propter necessitatem ejus; et ideo, si extra necessitatem laicus ea utatur, faciet quidem sacramentum, quia simpliciter potestatem habet; graviter tamen peccabit, nam non habet jus, et indebito modo potestate sibi data utitur, alienum ministerium usurpando. Unde Augustinus supra, sic inquit: Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; quod autem datum fuerit, non poterit dici non datum, quamvis possit dici illicite datum.

4. *Potestas jurisdictionis orta a jure divino, jure consummatur humano.* — Secundo observandum est, in ipsis sacerdotibus præter potestatem Ordinis, quam ex vi suæ ordinationis habent, ut licite possint ministrare sacramenta, requiri potestatem jurisdictionis, vel ordinariam, vel ab eo delegatam, qui est ordinarius pastor; quod quidem a jure divino originem ducit; per jus autem positivum consummatur. Loquendo enim in genere vel in universali, de jure divino est, ut in Ecclesia alii sint pastores, ad quos cura animarum pertineat, alii vero sint oves, Joan. 20, et ad Ephes. 4. Et ipsa naturalis ratio dicat, in corpore mystico, quale est Ecclesiæ, ad conveniens ejus regimen necessariam esse hanc munerum distinctionem, ordinemque hierarchicum. Hoc autem posito, necessario sequitur, administrationem sacramentorum esse proprium munus pastorum Ecclesiæ, quibus cura animarum incumbit. Primo quidem, quia ipsi sunt dispensatores mysteriorum Dei, et ideo ad illos pertinet cura et sollicitudo, atque discretio inter dignos et indignos, ut sacramenta pro dignitate tractentur. Secundo,

quia sacramenta sunt animarum medicinæ, et ideo pastorum animarum esse debet jus illa dispensandi. Tertio, quia per sacramenta constituuntur membra Ecclesiæ, et ministri etiam Ecclesiæ ordinantur; ergo necesse est, ut hoc pertineat ad eos, qui Ecclesiam regunt; alioqui necesse esset, multa fieri in Ecclesia inordinate, ac confuse. Hoc ergo modo ducit hæc obligatio originem ex jure divino. Per jus autem humanum consummatur, quatenus jurisdictionis hujus distributio per homines facta est, et a supremo capite Christi Vicario ad cæteros aliquo modo derivatur, qua divisione facta, et huic, vel illi homini tali jurisdictione applicata, etiam fit illi injuria, usurpando jus seu ministerium ejus absque superioris delegatione seu facultate. Atque ex hoc capite peccat Episcopus, qui in aliena diocesi Ordines confert, sine proprii Episcopi facultate; peccat etiam simplex sacerdos propria auctoritate ministrans sacramenta alienis ovibus; peccant denique omnes qui juxta Ecclesiastica statuta privati sunt jure seu usu administrandi sacramenta, et nihilominus ea dispensant. Quare in hoc negotio potissimum consulendæ sunt Ecclesiasticæ leges, et omnino servandæ. Notanda vero est differentia, quæ in hoc est inter sacramentum confessionis, et cætera, quia in aliis sacramentis hæc facultas et jurisdictio est necessaria, ut licite dispensentur sacramenta; si tamen absque illa ministrentur, valida erunt; in sacramento autem poenitentiae, jurisdictio necessaria est ad valorem sacramenti, quoniam est actus judicialis, ut suo loco dicemus. Nunc etiam in sacramento matrimonii, ad valorem ejus aliquo modo necessaria est jurisdictio, quia est necessaria præsentia parochi, vel alterius sacerdotis ex ejus commissione. Sed hoc non est ex natura, vel ministerio sacramenti, sed solum quia est conditio ex jure positivo necessaria ad valorem contractus, ut dictum est, et alibi latius dicemus.

5. *Ad sacramenta ministranda obligatur aliquis, aut ratione charitatis aut justitiæ.* — Dico tertio: obligatio ministrandi sacramenta solum cadit in eum, qui potest illa licite ministrare, vel simpliciter, vel in casu aliquo; quia obligatio esse non potest, nisi de actu licito. Potest autem hæc obligatio ex duplici capite oriri, ut omittam alias obligationes extrinsecas, ut esse possunt ex voto, obedientiæ, etc.; hæc enim sunt accidentalia, quæ sub scientiam non cadunt. Unum caput est

charitatis, seu misericordiae, in quo servandae sunt generales regulae de tempore in quo obligat praecipuum charitatis, seu misericordiae; nihil enim aliud speciale hic addere oportet. Secundum caput est justitiae, cujus obligatio convenit tantum illis, qui vel ex officio, vel ratione stipendii, et promissionis, et pacti tenentur hoc munus exercere. Quapropter utraque ex his obligationibus ex suo genere gravis est, et sub mortali obligat; posterior autem est major, et illius transgressio potest interdum obligationem restituendi inducere, quia haec obligatio ad justitiam commutativam pertinet. De hac vero obligatione magis in particulari dicemus in sequentibus, tractando de singulis sacramentis et praesertim in materia de poenitentia et de Ordine.

SECTIO II.

Utrum ministri sacramentorum teneantur non mutare formas nec materias sacramentorum et quo modo in hoc peccent.

1. Primum fundamentum hujus materiae esse debet, sacramentorum ministros jure divino teneri ad retinendum in usu sacramentorum materias, et formas a Christo institutas. Hoc est de fide certum, et ex ipsa institutione intrinsece sequitur, nam tenentur vera sacramenta conficere, non ficta et falsa; non efficient autem vera sacramenta, nisi applicent materias et formas a Christo institutas.

2. Peccat graviter qui substantialem formam, vel materiam mutat. — *Is qui debitam intentionem non adhibet, ut peccat.* — *An ignorantia excuset.* — Ex hoc igitur fundamento sequitur primo, esse grave peccatum mutare in forma vel materia sacramenti aliquid substantiale seu essenziale. Probatur, quia facta hac mutatione, non applicatur materia et forma a Christo instituta, nam quidquid est de essentia talis materiae et formae cadit sub talem institutionem. Secundo, quia facta tali mutatione non fit verum sacramentum, ut supra ostensum est; tenentur autem, ut dixi, sacramentorum ministri vera ministrare sacramenta; alioqui et sacramentis ipsis et eorum auctori Christo, et suscipienti, et universae Ecclesiae magna fit injuria, dum novus ritus introducitur contra Christi institutionem; et frustrantur fideles veris sacramentis ac remediis salutis suae. Atque (ut hoc obiter definiamus) sub hac assertionem com-

prehendi potest intentio ministri, quae suo modo essentialis dici potest, quatenus simpliciter necessaria est, ut sacramentum sit validum. Quapropter non adhibere debitam ac necessariam intentionem in conficiendo sacramento, mortale peccatum est, illudque gravissimum. Sed quaeres, an hujusmodi lapsus possit interdum per ignorantiam excusari. Respondetur, ignorantiam juris, moraliter loquendo, nunquam posse in hoc negotio excusare, quia hoc generale jus, quod sacramenta debeant confici vera et integra ex partibus saltem essentialibus, tam est per se evidens, ut non possit ignorari, suppositis principiis fidei, quae ex parte sunt lumine naturae nota, scilicet quod sancta vere ac religiose et sine fictione ac deceptione tractanda sunt. Lex autem particularis de materia et forma essentiali singulorum sacramentorum, quamvis ignorari possit a multis, tamen a ministris sacramentorum non potest ignorari sine culpa, quia vel non debent sese huic ministerio ingerere, aut si volunt illud suscipere, tenentur prius hujusmodi ignorantiam expellere. Loquor autem moraliter et regulariter, quia non nego posse accidere (speculative rem considerando, seu casus fingendo), ut aliquis ex ignorantia invincibili habeat falsam existimationem circa essentiam alicujus sacramenti; sed illud raro accidit et valde accidentarium est; et ideo non cadit in considerationem moralem. At vero, loquendo de ignorantia facti seu naturali inadvertentia, saepe accidere potest, ut minister a culpa excusetur, consecrando, verbi gratia, in aqua, vel omittendo aliquod verbum, ex aliqua perturbatione, quae perfectam advertentiam, ac deliberationem impediatur, quod notavit Cajetanus, in Sum., verbo Missae celebratio, circa finem. Est autem difficile discernere, quando haec inadvertentia est inculpabilis, aut sufficientia indicia praebere ad hoc judicandum. Existimo tamen, si quis bona fide ac intentione procedat, et moralem diligentiam adhibeat, qualis ordinarie adhiberi solet a viris prudentibus ac timoratis, facile excusari a culpa, praesertim gravi. Quid autem faciendum postea sit, quando contingit hujusmodi defectum committi, dicemus commodius in singulis sacramentis. Regula enim frequentius servanda, est, iterandum esse sacramentum, praesertim si sit necessitatis. An vero interdum aliud expediat, pro ratione sacramenti et circumstantiarum judicandum est, et in particulari, ut dixi, dicitur melius.

3. *Materia aut forma uti incerta, quando peccatum sit.* — Secundo colligitur ex praedicto fundamento, teneri ministrum sacramentorum ad applicandum materiam et formam certam, graviterque peccare, si utatur materia seu forma dubia vel incerta, ommissa certa, etiam si id faciat sequendo opinionem probabilem speculative, vel etiam probabiliorem, de veritate et sufficientia. Hanc assertionem indicavit Scotus, in 4, dist. 3, quaest. 2, art. 3, in prima variatione, licet non tam distincte eam explicaverit; exempla sunt facilia, si quis, verbi gratia, in baptismo diceret in forma: *In nomine Genitoris*, etc., omisso nomine Patris, etc., vel si in forma calicis omitteret illa verba: *Qui pro vobis et pro multis*; vel qui consecraret in materia hordeacea, aut confirmaret sine balsamo. Ratio vero est tacta in praeced. sect., quia in hujusmodi mutatione exponit se minister periculo nihil faciendi, quia relinquit certum, et assumit incertum, et quantumvis speculative opinio probabilis sit, si tamen in re est falsa, ut esse potest, nihil fiet. Est ergo manifestum et morale periculum; ergo est sacrilegium tali periculo sine causa se exponere. Nam, si ministrare fictum seu falsum sacramentum, sacrilegium est, ut ostendimus, etiam erit sacrilegium exponere se sine causa tali periculo, quia in moralibus perinde est aliquid facere, et exponere se periculo faciendi. Quod autem hoc fiat sine causa, patet, quia, ut supponimus, teneri potest via certa, et illa omittitur solum voluntarie ad utendum incerta. Confirmatur, quia hujusmodi mutatio semper est contra universalem Ecclesiae morem, et contra reverentiam sacramento debitam; materia enim et forma sacramenti, quae sunt in communi usu Ecclesiae, semper sunt certae, et ad reverentiam sacramento debitam spectat, ut ex materia et forma certis conficiatur, si commode potest.

4. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: ergo nunquam licebit uti materia vel forma probabili in conficiendo sacramento; nam, si hoc est malum, est natura sua intrinsece malum, quia sicut exterius efficere sacramentum fictum et nullum, est intrinsece malum, ita exponere se morali periculo nihil faciendi est intrinsece malum, quia haec duo, ut diximus, moraliter idem sunt; ergo nunquam hoc licebit; consequens vero est falsum, nam saepe est necessarium uti materia probabili. Respondetur, aliud esse uti materia probabili, voluntarie ommissa certa, aliud vero esse

uti materia probabili, quando certa adhiberi non potest. Primum est proprie se exponere periculo; et ita concedo nunquam licere, sed esse intrinsece malum. Secundum vero potest interdum licere. Exemplo res declaratur, nam in sacramento confirmationis Chrisma confectum ex balsamo et oleo, consecratum ab Episcopo, est materia certa, oleum vero simplex ab Episcopo benedictum est materia probabilis; uti ergo hac posteriori materia, quando est copia prioris, semper est malum propter rationem factam; uti vero simplici oleo consecrato ad conficiendum confirmationis sacramentum, ubi Episcopus non posset alicujus balsami copiam habere, non esset malum, quia tunc, moraliter loquendo, non se exponit periculo, sed patitur potius seu permittit aliquid periculum, quod vitare non potest, ut sacramentum conficiatur saltem probabile; nam minus malum hoc est, quam omnino carere sacramento; cui nulla in hoc fit injuria vel irreverentia, quia fit certiori modo, quo tunc potest moraliter fieri.

5. *An, qui in materia confessionis utitur materia probabili, ommissa certa, peccet.* — Sed urgebit aliquis, nam in materia confessionis saepe licet uti materia probabili, ommissa certa, ut, v. gr., confiteri cum attritione cognita absque contritione, cum tamen haec sit materia certa, illa vero probabilis tantum, et utraque sit in hominis potestate. Simile exemplum est, quando sunt opiniones, an teneatur quis in tali casu confiteri tale peccatum, necne; tunc enim, si poenitens confiteatur illud, utitur materia certa, quia non est dubium, quin illa sit confessio integra; si vero taceat, utitur materia probabili, et tamen hoc licet, quantumquam utraque materia sit in ejus potestate. Respondetur, in hoc posteriori casu semper materiam esse certam, quia semper est confessio integra formaliter, et haec est materia certa et indubitata confessionis; dicitur autem confessio formaliter integra, quandocumque nihil in confessione tacetur ex malitia seu negligentia, quae ad peccatum mortale sufficiat; quando vero aliquid prudenter ac licite tacetur propter occasionem, talis confessio formaliter est integra sine ulla dubitatione. At vero, qui sequendo opinionem probabilem aliquid tacet, prudenter ac licite operatur, et ideo practice certus est, se facere confessionem integram absque formali mutilatione; et ideo etiam est certus exhibere se materiam certam sacramenti. Eadem responsio applicari potest priori exemplo; quan-